



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. Perstringuntur reliquæ Excommunicationes in Bulla Cœnæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

lios tam nomine proprio, quam nomine alterius, sed etiam præcipi, quod tradatur Inquisitoribus in quodam motu Julii III. incipientis, *Cum meditatio*. Ita Sanch., Azor. Verum Filliuc., & alii apud Bonac. excusant eum, qui propria auctoritate combureret, aut traderet iis, qui facultatem habent legendi tales libros; Dato tamen, quod juxta priorem sententiam peccaret, certe excommunicationem non incurreret, qui talem librum combureret.

X. Dubium est quinto; Quinam possit concedere facultatem legendi libros prohibitos?

Respondeo, libros prohibitos in Bulla Cœnæ legi non posse nisi de Pontificis facultate, ut constat ex ipsa Bulla; unde solum in casu magnæ necessitatis potest ab Episcopo, aut Inquisitore talis licentia concedi: Ex decreto tamen Urban. VIII., quod incipit, *Apostolatus*, præter Pontificem potest etiam Congregatio Sancti Officii facultatem concedere legendi libros tam in Bulla Cœnæ, quam in Indice expurgatorio prohibitos; Ante tale decretum poterant Episcopi, Inquisitores, & Generales religionum suis subditis facultatem concedere legendi libros in Indice vetitos; Quod autem amplius nequeant etiam Privilegiarii hujusmodi facultatem suis subditis concedere, docent communius contra nonnullos, ut diximus in Trutina exponentes thesim 45. ab Alex. VII. proscriptam.

## ARTICULUS II.

Perstringuntur reliquæ excommunicationes in Bulla Cœnæ.

- I. Excommunicantur deinde Appellantes ad futurum Generale Concilium.
- II. Pariter Pirata depraedantes Christianos navigantes mare Ecclesiasticum.

III. Necnon surripientes bona naufragantium Christianorum, non tamen Hæreticorum.

IV. Item imponentes Pedagia, & Gabbellas. Et quidem etiam Principes Supremi, si injuste illas imponant; possuntque ex multiplici capite injustitiam continere. Collectæ ab Universitatibus imponi possunt, non tamen a Principibus.

V. Falsarii etiam literarum Apostolicarum.

VI. Et qui arma, & alia hujusmodi deferunt ad Infideles in perniciem Catholicorum.

VII. Impedientes, ne victualia, & alia Romane Curie necessaria ad eam adducantur, idque sine causa legitima. Quid autem venit nomine Curie Romanae?

VIII. Vexantes eos, qui ad Sedem Apostolicam ob causas ad illam pertinentes accedunt; & qui jurisdictionem sibi vindicant adversus commorantes in Romana Curia.

IX. Necnon vexantes Romipetas, qui ad Urbem principaliter causa devotionis accedunt.

X. Qui vexant Cardinales, Episcopos, Nuncios, &c., & qui Episcopos a suis Diocesis expellunt; necnon mandantes, ratum habentes, ac favorem, consilium, auxilium interponentes.

XI. Molestantes, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt.

XII. Pariter qui frivolum appellationem prætexendo ab Ecclesiastica ad Curiam Secularem confugiunt, & literas Hortatorias, quæ potius sint comminatoria, procurant.

XIII. Qui prætextu exemptionum causas Spirituales, Beneficiales, decimarum, &c. a Judicibus Ecclesiasticis ad se advocant; sive etiam prætextu violentiæ prohibenda.

XIV. Item qui ex prætenso officio Personas Ecclesiasticas ad seculare Tribunal

bunal trahunt, & libertati Ecclesiastica præjudicant.

XV. Et qui impediunt, ne Judices Ecclesiastici sua jurisdictione utantur sive directe, sive indirecte, carceroando consanguineos.

XVI. Similiter qui jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant, aut fructus pertinentes ad Ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, aut Monasteriorum; aut si eos sequestrent.

XVII. Ac qui collectas imponunt, aut alia onera potestate laicali Ecclesiasticis sine licentia Pontificis; & qui a sponte danibus sic imposita recipiunt; qui ex consuetudinibus excusentur.

XVIII. Quandonam Ecclesiastici in communibus necessitatibus tenentur ex justitia contribuere, & quomodo?

XIX. Judices, & alii, qui in causis Criminalibus adversus Ecclesiasticos procedunt.

XX. Et qui loca Pontifici subiecta invadunt, usurpant, detinent, atque eorum fautores, &c.

I. **S**ecunda excommunicatio comprehendit Appellantes ab ordinationibus Pontificis ad futurum Generale Concilium, necnon id consulentes, & auxilium præbentes: Qui enim appellat ad Concilium, censetur tollere a Papa privilegium illud a Christo Domino concessum, quod sit supra totam Ecclesiam; cum D. Petro dixerit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Hinc damnata est ab Alex. VIII. propos. 29. dicens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.* Additur in hac secunda excommunicatione Interdictum propter eandem causam pro Universitatibus, Collegiis, & Capitulis; nam Communitates interdici pos-

sunt, excommunicari non possunt, ut diximus quæst. 1. art. 3. Sed de hac inappellabilitate fuse diximus in Proemio tertiæ Editionis Trutinæ Antiquænellianæ.

II. Tertio excommunicantur Piratæ, Curfarii, & latrunculi maritimi interficientes, mutilantes, depradantes Christianos, qui mare Ecclesiasticum navigant, præcipue a Monte argentario ad Terracinam; necnon consulentes, & auxiliantes. Si quis tamen navim ipsorum Piratarum furripit, excommunicationem non incurrit, quoties id non cedat in damnum aliorum fidelium, quia licita est deprædatio piratarum, ex cap. *Si quis* 23. quæst. 3.

III. Quarto excommunicantur furripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus exilentia, sive ab iisdem ejecta, sive in litore inventa in quocumque mari; Requiritur tamen, ut acceptio sit injusta, & ex certa scientia, quod ea bona sint naufragantium, & quod non occupentur animo ea conservandi, ac restituendi domino; ac demum requiritur, quod non præsumatur ex manifestis conjecturis, quod ea bona sint derelicta; Nomine autem Christianorum non veniunt hæretici, ut communiter Doctores docent; quia non est credibile, quod Papa per Bullam hanc voluerit favere hæreticis.

IV. Quinto excommunicantur, qui in terris suis sine ullo privilegio imponunt, vel augent pedagia, seu gabellas, necnon qui illas exigunt ut ministri, vel hæredes imponentis; Nomine autem Pedagii intelligitur tributum quoddam impositum ob transitum vel personarum, vel mercium per aliquem locum; sub quo nomine venit etiam Guidagium, quod est tributum pro custodia, & refectioe viarum: Nomine vero Gabellæ venit tributum, quod exigitur pro delatione, trans-

translatione, venditione, & emptione mercium. Habent tamen privilegium ea imponendi, & augendi omnes supremi domini, qui in temporalibus superiorem non habent, ut Imperator, Reges, Respublica; non vero Marchiones, Principes, Comites, Duces, nisi de licentia Principis supremi. Adverte tamen, quod si supremi Principes injustas gabellas imponant, aut sine justa causa augeant, etiam excommunicationem hanc incurrant, ut docent Suar., Molin. contra Navar., & Tolet. Est autem Gabella de se injusta, Primo ratione personarum, quibus imponitur, ut si imponatur etiam a Clericis solvenda sine licentia Papæ. Secundo ratione materiæ, ut si imponatur rebus, quæ venduntur, & emuntur in propriam sustentationem. Tertio ex parte causæ, ut si non imponatur propter utilitatem publicam. Adverte demum ex Blundo, quod excommunicationem hanc etiam incurrant, qui imponunt collectas, talias, & alia onera præter pedagagia, & gabellas; exceptis tamen universitatibus, & communitatibus; quia istæ quando collectas imponunt, libere sibi ipsis hæc imponunt onera, ut possint civium necessitatibus subvenire: Contra vero Principes illa imponunt civibus invitis, ad propriam utilitatem.

V. Sexto excommunicantur falsarii literarum Apostolicarum, sive falsas fabricent, sive falsas signent sigillo vero; sive falsent illas immutando earum characteres, aut punctum aliquod; (quamvis aliquando ex levitate materiæ possit hæc actio esse peccatum veniale, ex quo excommunicatio non incurritur) Qui tamen falsis literis Apostolicis utitur, excommunicationem hanc non incurrit; sicut nec qui errorem Notarii corrigeret; ut si constet datam esse dispensationem in tertio gradu consanguini-

Part VIII.

tatis, & Notarius per errorem scripsisset, in quarto gradu, non peccat, qui eum corrigit.

VI. Septimo excommunicantur, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, necnon ad hæreticos expressè, & nominatim per Sedem Apostolicam declaratos deferunt, vel transmittunt in damnum Catholicorum arma, & armorum materiam, scilicet ferrum, stannum, necnon funes, ac funium materiam, equos, ligamina, & alia hujusmodi, quibus in perniciem catholicorum utantur; Excusantur tamen Christiani coacti remigare in triremibus Turcarum; & qui eas res deferunt ad Saracenos non gerentes bellum cum Christianis. Excusantur etiam ex Navar., & Tolet. ab excommunicatione, (si non a peccato) qui deferunt vestes, & victualia; quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, & alia hujusmodi. Excommunicantur etiam qui per se, vel per alios in Christianorum perniciem certiores faciunt hæreticos, & alios fidei hostes de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus; aut qui illis consilium, auxilium, vel favorem præstant.

VII. Octavo excommunicantur injuste impediens victualia ad Romanam Curiam deferri: Dicitur autem Curia Romana tam familia Papæ, seu Tribunal Pontificium, in quo negotia Ecclesiastica conficiuntur, ubicunque Pontifex resideat; quam locus, in quo Cardinales resident post obitum Pontificis. Verum, ut hæc excommunicatio incuratur, debent sine iusta, & legitima causa impedire, seu prohibere, aut perturbare, ne victualia deferantur, aut defendere, qui id facit; Quare si Princeps, vel Respublica, ut suis propiciat, prohibet, ne triticum, vel vinum ex suis confinis extrahatur, & Romam deportetur, excommunicationem non incur-

Q cur-

currit; ut notat Suar. tom. 5. disp. 21.

VIII. Nono excommunicantur, qui mutilant, spoliant, capiunt, detinent accedentes, vel recedentes a Romana Sede: Quare non excommunicantur, qui ea faciunt in accedentes ad Urbem ad sua negotia secularia peragenda, sed qui ea faciunt in accedentes ad Sedem Apostolicam ob negotia, vel causas, quæ ad illam pertinent; etiam si non in odium, & contemptum Sedis Apostolicæ, sed vel ob inimicitias, vel ob alias causas id faciant. Præterea excommunicantur, qui usurpata jurisdictione, hoc est sine ulla ordinaria, aut delegata jurisdictione, prætextu tamen illius læderet commorantes in Curia Romana, qui dicuntur Curiales, & ita Romanæ morantur, ut Papæ, vel Cardinalibus, vel Episcopis inserviant.

IX. Decimo excommunicantur interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, hoc est peregrinos, qui devotionis causa petunt Romam, & in ea morantur; Excommunicantur etiam, qui in his actionibus dant consilium, auxilium, aut favorem. Ubi adverte, quod excommunicationem non incurrat, qui occidit venientem ad Urbem sub habitu peregrini, non tamen devotionis causa, sed, verbi gratia, ad vitandas expensas: Contra vero excommunicationem incurrit, qui occidit venientem ad Urbem devotionis, vel peregrinationis causa, etiam si equester veniat, & sine habitu peregrini: Immo etiam si veniat ob alia negotia, dummodo veniat principaliter causa devotionis, vel peregrinationis.

X. Undecimo excommunicantur, qui mutilant, interficiunt, vulnerant, percutiunt, capiunt, detinent, & hostiliter insequuntur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos,

vel Nuncios, &c. Excommunicantur etiam Principes, Magistratus, & alii, qui Episcopos, Legatos, vel Nuncios a suis Diocæsis, territorii, terris, seu dominiis (id est ubi suam jurisdictionem exercent) eji-  
ciunt; & qui jussu Principum easdem Ecclesiasticas personas expellunt; Necnon mandantes, ratum habentes, auxilium, consilium, favorem præstantes in aliquam ex prædictis actionibus. Dicitur autem ratum habere, quando intervenit quoddam virtuale mandatum, non vero quando solummodo laudatur factum, seu approbatur ab eo, cujus nomine nullatenus est factum; ut notat Suar. loc. cit.

XI. Duodecimo excommunicantur, qui occidunt, percutiunt, bonis spoliant recurrentes ad Sedem Apostolicam, seu Romanam Curiam super suis negotiis; Necnon eorundem negotiorum gestores, advocatos, procuratores, agentes, seu etiam auditores, & Judices super dictis causis, seu negotiis deputatos, dummodo eos lædant occasione eorundem negotiorum. Nomine autem negotiorum Suar. contra Navar. putat venire non solum causas spirituales, sed etiam temporales, quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui domini temporalis. In nona itaque excommunicatione excommunicantur, qui molestant accedentes, vel recedentes a Sede Apostolica; in hac vero excommunicantur, qui molestant recurrentes ad illam, & ea negotia pertractantes: Quare Princeps, vel Judex, qui spoliat bonis appellantem ad Romanam Curiam, hanc excommunicationem incurrit; quamvis ea bona, quibus spoliatur, domi reliquerit, qui ad Curiam habuit recursum. Excommunicantur etiam, qui ad has actiones auxilium, favorem, & consilium præstiterint.

XII. Decimotertio excommunicantur

tur appellantes sub privato prætextu ad Curias Sæculares in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem literarum Apostolicarum sive gratiam, sive justitiam continentium; necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, &c., sive talis appellatio, & recursus a Principibus admittatur, sive non. Excommunicantur etiam, qui a potestate laicali, etiam instante Fiscus procuratore, vel Advocato, faciunt, ut hujusmodi appellationes admittantur, & qui faciunt, ut hujusmodi literæ a laica potestate capiantur, retineantur. Demum excommunicantur, ut notat Azor. lib. 5. cap. 12., qui post legitimam appellationem ad Judices Ecclesiasticos, quam illi admittere nolint, recurrunt ad laicam potestatem, ut faciant illam admitti procurando literas Hortatorias; quæ quamvis videantur modeste loqui, mittuntur tamen sæpe auctoritative, & intentione præcipiendi, & comminandi; quod si ita se res habeat, tam eas obtinentes, quam mittentes excommunicationem incurrunt.

Notandum tamen, nomine literarum Apostolicarum venire hic tantum eas, quæ emanant a Papa, Sede Apostolica, Nunciis, Legatis, Præsidentibus Camera Apostolicæ, Auditoribus, Commissariis, Judicibus, & Delegatis Apostolicis, non tamen quæ emanant ab Episcopis, Archiepiscopis, &c.; quamvis qui has impediunt, decimam sextam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant.

XIII. Decimoquarto excommunicantur, qui auctoritate laica, & prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, causas spirituales, & spiritualibus annexas, beneficiales, decimales, &c. ad se a Judicibus Ecclesiasticis avocant: Et qui partes astrictas compellunt aut ad revocandas citationes,

inhibitiones, aut alias literas in talibus causis decretas, aut ad consentiendum, ut absolvantur a censuris illi, contra quos tales inhibitiones emanarunt: Necnon qui impediunt executionem talium processuum, decretorum, & literarum Apostolicarum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum; Ac demum qui ad id præstant auxilium, assensum, aut favorem.

Certe multi putant, ut notat Navar. & Blundo in Relectionibus Bullæ Cœnæ disp. 75. licere Judicibus Sæcularibus tam ex vi juris communis, præsertim ex Cap. *Filiis, vel Nepotibus* 16. q. 7. quam ex vi consuetudinis, & ex tacito consensu Papæ, præsertim in Hispania, & Gallia, multa facere huic dispositioni contraria, ne aliquis sine justa causa, & absque mera Summi Pontificis informatione a suo beneficio deturbetur, aut aliam similem injuriam gravem patiatur, quam postea aut vix, aut nullo modo possit recuperare: Putant etiam, Judicibus sæcularibus licere propter eandem rationem impedire, ne executioni mandentur sine suo assensu literæ Apostolicæ, necnon cognoscere causas Clericorum, præsertim beneficiatorum, quando sæcularis conqueritur se injuste opprimi a Judice Ecclesiastico. An autem ea liceant? Navar., & Suar. apud Blundum definitioni Pontificis remittunt. Azor. tamen tom. 1. lib. 5. cap. 12. disertè, ac solide ostendit non licere; Nec pro Hispania, Gallia, Ungaria, Germania tale privilegium unquam concessum esse; cum debeat sæcularis a Judice Ecclesiastico oppressus ad Archiepiscopum, & ad Papam conqueri, non ad Judicem sæcularem; Et quando dubitatur verane sint, an surreptitiæ literæ Apostolicæ, judicium in hac re non est ferendum a sæculari, sed ab Ecclesiastico.

Dices. In cap. laudato *Filiis*, vel *Nepotibus* habetur, quod si negligat Episcopus corrigere Sacerdotem fraudantem aliquid de rebus Ecclesie collatis, recurratur ad Metropolitanum; Quod si hic pariter erit negligens, recurratur ad Regem; ergo non est illicitum uniuersim ad Regios ministros recurrere, quoties iustitia ab Episcopo, & a Metropolitanano denegatur.

Respondeo. id permitti causa defensionis, quando manifesta iniustitia irrogatur, & non patet aditus ad Pontificem; ad quem non possit sine magno impendio haberi recursus: Cum enim solus Pontifex delicta Ecclesiasticorum tanquam legitimus Iudex punire possit, ad Pontificem recurrendum pro manifesta iniuria ab Ecclesiasticis irrogata, si id fieri possit: Quando autem id non licet, ad Regem nequit recurri tanquam ad Iudicem Episcoporum, sed solum ut impediatur hic, & nunc manifestam iniustitiam, quousque ad Pontificem tanquam legitimum Iudicem causa deferri possit; ut notant communiter Doctores apud Azor. tom. p. p. 5. cap. 12. asserentes in Canone solum permitti, quod ad Regem in casu adducto recurri possit, non ut Metropolitanum corrigat, (quod certe nequit, ex cap. *Qualiter*, & *quando*, & ex Cap. *Clerici*, de *Judicis*) sed ut Metropolitanum admoneat; vel ut Rex ipse instet apud Pontificem legitimum Superiorem, ac Iudicem Metropolitanum.

XIV. Decimoquinto excommunicantur, qui ex pretenso officio trahunt ad seculare Tribunal personas Ecclesiasticas, & qui eas trahi faciunt, aut procurant quouis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, vel decreta faciunt, aut publicant, vel iis utuntur in praedictum libertatis Ecclesiasticae, & quorumcumque

jurium Ecclesiae, etiamsi praetextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii. Dicuntur autem statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, quae sunt contra privilegia Ecclesiae concessa five ab Imperatore, five a Papa, &c., necnon quae sunt contra privilegia concessa praediis, possessionibus, &c. Ecclesiae, & Clericorum. Esset etiam contra libertatem Ecclesiasticam, ut notat Suar., si temporales domini suis subditis praecipere, ne Clericis consueta obsequia exhibeant, idest ne eis quicquam vendant, panem coquant, & similia.

XV. Decimosexto excommunicantur, qui impediunt Praelatos, & Iudices Ecclesiasticos, quominus sua jurisdictione utantur; necnon qui post sententiam fori Ecclesiastici ad Curias saeculares recurrunt procurando prohibitiones, & mandata etiam poenalia Iudicibus Ecclesiasticis decerni, & contra eosdem exequi: Excommunicantur etiam, qui ea decernunt, & exequentur, seu dant consilium, patrocinium, & favorem in iisdem.

XVI. Decimosextimo excommunicantur, qui usurpant jurisdictionem, & fructus ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, Ecclesiarum, aut monasteriorum pertinentes; necnon si eos sequestrant: Ubi duo advertit Suar., Primum est, non incurere excommunicationem hanc, qui fructus monasteriorum, beneficiorum &c. furatur; nam usurpare proventus est illos capere tanquam ad se pertinentes; furari vero est rapere tanquam aliena bona. Secundum est, quod si beneficium aliquod, puta Episcopatus, habeat jurisdictionem etiam temporalem, qui talem jurisdictionem etiamsi temporalem usurpat, hanc excommunicationem incurrit.

XVII. Decimo octavo excommunicantur, qui potestate laicali imponunt collectas, decimas, & similia onera

nera personis Ecclesiasticis, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine speciali licentia Papæ; Necnon qui hujusmodi onera sic imposita a sponte dantibus recipiunt, & qui procurant prædicta exequi, aut ad id auxilium, consilium, favorem præstant. Et ratio est, quia sic læditur immunitas Ecclesiastica: Nec excusantur ab excommunicatione, qui hæc faciunt ex vi alicujus consuetudinis; quia talis consuetudo in multis juribus Canonicis damnatur; ut videre est apud Azor. lib. 5. cap. 12.

Similis excommunicatio lata est a Lateranensi sub Alex. III. in cap. *Non minus*, de Immunitate Ecclesiast., & in cap. *Adversus*, ubi etiam prohibetur, ne Episcopus, vel Clericus possit conferre subsidium pro communi necessitate, vel utilitate sine licentia Papæ; Et revocatur quod in cap. *Non minus* cit. permittebatur, quod scilicet Ecclesiastici possint aliquid sponte dare in aliqua necessitate, quando facultates laicorum non suppetunt.

XVIII. Verum est, quod si in refectio[n]e pontium, fontium, viarum proxime, & directe oriatur commoditas ipsis Ecclesiasticis, teneantur ex justitia ad talem refectio[n]em contribuere, ut notat Abb., & Molin. disp. 672. At primo utilitas Ecclesiasticorum debet esse directa, & immediata; aliter semper deberent contribuere, quia omnis contributio est ad publicam utilitatem ordinata. Secundo, quod debet in his casibus solvi a Clericis, non debet decerni a laicis, sed laici simul cum Ecclesiasticis de communi consensu debent convenire; & si Clerici renuant, non possunt cogi a Judice sæculari, sed solum ab Ecclesiastico, ad quem recurrendum est. Vide Molin. laudat.

XIX. Decimonono excommunican-

tur Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, executores, &c. quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, & criminalibus adversus personas Ecclesiasticas: Unde etiam id mandantes, capientes Clericos, &c., excommunicationem incurrunt; Hoc tamen fori privilegium amittit Clericus non beneficiatus, etiamsi initiatus minoribus Ordinibus, si non deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, ex Trident. sess. 23. cap. 6.: Necnon Clericus, qui per assassinos fecit alium interficere, ac Clericus conjugatus bigamus.

XX. Vigesimo excommunicantur, qui destruunt, invadunt, occupant terras Romanæ Ecclesiæ usurpando in illis supremam jurisdictionem, videlicet in alma Urbe, in Regno Siciliae, in Insulis Sardiniae, & Corsicae, Benevento, &c.

Demum qui ab his excommunicationibus extra articulum abolveret, ipse excommunicationem incurreret, (quamvis non in Bulla, sed extra Bullam Cœnæ a Clem. VIII. an. 1602. reservatam) & absolutio[n]em nullatenus impenderet.

## ARTICULUS III.

### De Excommunicatione ob percussio[n]em Clerici.

I. *Quid venit nomine Clerici? Quid nomine Monachi? Num etiam Tertiarii? Num Eremita?*

II. *Quid sit manus violentas injicere? Quid si venenum Clerico propinetur?*

III. *Quandonam alio dicatur graviter injuriosa Clerico, & quando leviter?*

IV. *Quid si Clericus consentiat in sui percussio[n]em? Quid si seipsum percussiat?*

V. *A quonam debeat verberari Cleri-*